

LITTERAE DECRETALES

**de peracta Canonizatione aequipollenti
beatae Angelae de Fulginio**


FRANCISCUS EPISCOPUS

**Servus Servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam**

“Cum sanctus Franciscus ac tandem Christus Crucifixus conveniuntur, anima Dei praesentia concitur, propterea quod cum Deo tantum vita fit vera vita, quandoquidem propter peccatum in dolore ipsa amor gaudiumque fit: sic nos alloquitur Angela de Fulginio”.

Verba haec, quae venerati Decessoris Nostri Benedicti XVI catechesi finem ponebant, perfectum efficiunt nexum inter illius mulieris vices, quae Media Aetate vixit, atque iter, quod Dei Populus sua in historia continenter suscipere debet. Etenim Angelae de Fulginio vita, spiritualitas cultusque plane recteque summi ac perennis momenti esse testantur altam cum Deo communionem, quae efficit ut omnes creaturae conveniantur, quae a Creatore conduntur. Ipsa perpetuo coram Domino perstitit, ut sine mora eius voluntatem reciperet.

Fulginii circiter anno MCCXLVIII ex divite familia orta, Angela, puella, patrem amisit atque leviter a matre est instituta. Paulo post viginti annos nata, cuidam nobili Fulginensi nupsit et nonnullos filios genuit. Venusta fuit Angela, blanda, fervida et acri ingenio; mundanam, vanamque aetatem exegit, omnibus vitae illecebris se tradidit atque suae animae salutem neglexit. Cum aetatis transegisset triginta annos, quaedam evenerunt,



scilicet inusitatus terrae motus anni MCCLXXIX, saeva tempestas, diuturnum bellum Perusinum, quae eam ad vitam ponderandam compulerunt. Anno MCCLXXXV gratia et sancti Francisci Assisiensis visione percussa, vitam immutare statuit: omnia peccata est confessa et paenitentiae conversionisque iter suscepit. Primum inferni timore emendationisque necessitate compulsa, omnem suam vitam in continuatam ascensionem ad sanctitatem gradatim commutavit, per crucis semitam amoremque usque ad plenam cum Trinitate coniunctionem.

Tribus post annis semel funditusque decrevit ut perfectionis evangelicae iter decurreret, quod etiam brevi tempore insequens matris, mariti liberorumque mors expedit. Cum esset sola, plenam perspexit libertatem Deo adhaerendi; itaque, quemadmodum egerat nobilis Fulginensis Petrus Crisci, omnia sua bona vendidit et quae lucrata est pauperibus tradidit atque anno MCCXCI Tertium Ordinem sancti Francisci est ingressa, spiritali moderamini fratris Franciscalis Arnaldi, sui concivis familiarisque, se committens. Eodem anno peregrina Assisium petiit, peculiaria percipiens mystica dona.

Post aliquod paenitentiae severitatisque tempus, Franciscalis Tertiaria per studiosum spiritualeque iter ad altissima mysticae experientiae fastigia a Deo est perducta, usque dum animadverteret Sanctissimam Trinitatem sua in anima habitare. Haec omnia in libro reperiuntur qui est *Liber beatae Angelae*, cuius pars prior est *Memoriale*, quod in Latinum sermonem eius confessarius Arnaldus de Fulginio convertit. In eo interior Angelae experientia continetur, scilicet a tempore conversionis usque ad annum MCCXCVI. Documentum octo theologi Ordinis Fratrum Minorum, serius etiam cardinalis Iacobus Colonna, comprobarunt. Altera eiusdem

libri pars *Instructiones* complectitur, quas suis discipulis Angela dispertiebat.

Memorialis textu confecto, mysticae experientiae imminui videntur: etenim postremis vitae annis Beata, Virginem Mariam sectans, quam admodum pie colebat, maternum animum spiritalem auxit, quod Franciscalibus prorsus innotuit. Complures namque discipulos collegit ex Italia exterisque nationibus oriundos, doctrinam spiritaliaque consilia recepturos. Ex iis docendis rebus peculiariter prudentia praestat, quam adhibuit ut “fratres liberi spiritus” et “fratriculos” a nimia severitate et ab extremorum consiliorum studio arceret.

Perquam nota quoque sunt caritatis opera, quae egit Angela. Francisci more in suae urbis valetudinario leprosos curavit. In unoquoque eorum Christi personam inspiciebat. Postrema eius vitae in quadam narratione, cuius titulus *De felici exitu beatae Angelae*, singillatim describuntur. Beata Fulginii die IV mensis Ianuarii anno MCCCIX, affectione dilectioneque saepta spiritalium filiorum, pie obiit.

Quemadmodum Evangelia de Iesu, sic *Liber* de Angela Fulginensi exstat praecipuum vitae documentum. Ita verba eventusque, quae in hoc insigni documento reperiuntur, *testimonia* fiunt Beatae virtutum, quae forti fulgidaque fide, viva flagrantique caritate necnon laeta actuosaque spe potissimum emittit. Haud semel apud *Memoriale* a fratre Arnaldo *fidelis Christi* ipsa vocatur, quod sibi vult tum eam esse fidelem, tum potissimum “credentem”, quae se totam Domino committit, conversam quae fide, gaudio ac fidelitate vivit, quae fundamentum suae existentiae fidem locat et amantem cum Domino coniunctionem. Angela fide imbuitur, sed imago quoque est “fidelis” Iesu Christi eiusque vivendi rationis, plena manifestatio earum rerum quas Deus cum hominibus illius aetatis communicare

cupiebat, tandem prophetissa germano ex verbi sensu. Discipulos docebat Angela: *Si vis fidem, ora.* Iis, qui se ad veritatem Dei que caritatem pandunt, magnam praebet vim fides ut omnibus periculis occurrant, martyrio quoque. Angela hanc habuit vim, ut flagranter optaret – sicut suo in libro confitetur – viliores mortem quam Iesu Christi. Suis discipulis, qui spei donum desiderant, primum suadet ut Iesum Crucifixum contueantur, qui passionis dolores ac Patris discessum suscepit, deinde eos firmiter cohortatur ut per precationem hoc donum expetant: *Si vis spem, ora.* Eucharistia, precatio, contemplatio ac supernaturalis vitae Ecclesiae participatio altius usque eam ad Dei amorem perduxerunt, qui suam praesentiam significat atque in ea vivum servat desiderium ut coram mundo despiciatur atque crucis humilitatem participet. Cum de divinis donis, nominatim de caritate, loqueretur, stupens ad Deum se his verbis convertit: *O Summum Esse, fac me dignam intelligere istud donum quod est supra omne donum; quia omnes angeli et omnes sancti non habent aliud videre, nisi te videre amatum et amare te et te contemplari. O donum quod est supra omne donum, quia tu ipse es et es amor. O Summum Bonum, dignasti nos facere te amorem cognoscere, et facis nos amare talem amorem.* In tot visionibus, extasibus locutionibusque asseverat Angela amore in Dominum se uri. Quod ad amorem erga proximum attinet, ad amandum, universali quasi amplexu, omnem creaturam rationalem rationeque carentem concitat atque Dei amorem sicut imitationis exemplar exhibet. Erga omnes amor discipulis, etiam in pervigilio eius beati transitus ad caelum, magnopere ab Angela commendatur. Nemo ab hoc Amore prohiberi potest, quandoquidem omnes eiusdem Patris sunt filii ideoque inter se sunt fratres et sorores. Amorem erga proximum indigentem sic funditus experitur Angela ut omnia sua bona vendat, magnum lucrum pauperibus

traditura, insigni dein lenitudine inserviens leprosis. Mulier fortis ac prudens, Angela a mundanis rebus se seiungit ut totis viribus ad superna tendat, *ubi Christus est in dextera Dei sedens* (Col 3,1). Intellegit radicatus electam paupertatem ad Christi crucem attingendam viam esse necessariam. Ex virtutibus quas Angela suo in conversionis itinere paulatim obtinuit, castitas una cum paupertate dolentes amputationes saevaue bella maiorem in modum postulavit. Triginta septem annos nata, Spiritus Sancti impulsu, vitae cursum admodum novum incohat, se sponsam cum Christo coniungens, cui quodam die perfectam castitatem per inopinatam quandam spoliationem pollicetur. Postquam Dominum convenit, tamquam puerum sinit se manu ab eo ad miram metam perducere. Humilitas ab ea veluti virtutum matrix describitur. Vel prima virtus, caritas (una cum ceteris) ex humilitatis radice oritur. Filii Dei "humanati" et "passi" kenosin Angela contemplatur, atque saepenumero de eo loquitur eiusdemque semitam calcare nititur.

Haec omnia demonstrant eam inter praecipuas mysticas locari. Ipsa habetur ea quae per varias vitae vices atque per christianas virtutes cotidie exercitas evangelicae perfectionis fastigium attigit, cum fieret prophetissa et verae Christi scientiae magistra, quae summatim in Crucis mysterio reperitur.

Quapropter haec Fulginensis mulier exemplar habetur novae rationis conveniendi Deum et cum eo loquendi, cum theologa fiat quae in Dei Verbo, Ecclesiae oboedientia, recta divinarum rerum experientia, maxima ipsius considerata altitudine, nititur. Etenim id quod *Liber* describit numquam ex vita ipsius personae excedit, quod sub divinae sapientiae lumine ponderatur.

Saeculorum decursu *Liber*, vitae Angelae thesaurus, spiritualium itinerum fons universaliter habitus est, qui est tenendus et ultra spiritalis fines Franciscas transmittendus; in Benedictinorum et Cisterciensium coenobiis eiusdem reperiuntur manuscripta et eum *devotio* moderna investigavit, cum ipsa *magistra theologorum* haberetur.

Saliens hic fons adhuc exstat. Hodie quoque Fulginii est precationis spiritualitatisque cenaculum, quod totius orbis terrarum asseclas complectitur, qui religioso stupore Angelam respiciunt.

Effigies insuper cuiusdam mulieris ut Angelae, matris factae spiritalis multorum clericorum, femininam imaginem missionemque extollit.

Cum ex fide vivat, erga Ecclesiae traditionem vivam fidelis, iter perquam nostrae aetati congruum demonstrat: cum habeat Angela facultatem credentis cor refovendi, ut Hubertino a Casale anno MCCXCVIII compluribusque eius discipulis accidit, hodie quoque suam praestat caelestem intercessionem, conversiones cordisque commutationes significantem.

Itaque Angelae de Fulgino vita et experientia dant copiam multa vestigandi atque tot indicia praebent, quasi vera germanaque sint fodina. Sic censebant ii qui, post Angelae obitum, eiusdem memoriam producebant religioseque ipsius pietatem colebant, quae annorum decursu est ita confirmata ut verus publicus cultus fieret. Tam ab ecclesiasticis civilibusque potestatibus, quam a fidelibus ex voluntate Beatae vel Sanctae titulus ei est tributus, solida considerata fama sanctitatis signorumque, qua ipsa in Franciscali familia ac Fulginatensi dioecesi, in Umbria aliisque Ecclesiae partibus fruebatur. His prae oculis habitis rebus, die VII mensis Maii anno MDCCI Summus Pontifex Clemens XI Ordini Fratrum Minorum Conventualium, urbi dioecesi que Fulginatensi divinum officium Beatae

recitandi concessit facultatem. Haud multos post annos, die XX Decembris anno MDCCLXVI, Summus Pontifex Clemens XIII Beatae Missam celebrandi addidit facultatem. Compluries deinceps ab Apostolica Sede est quaesitum ut Angela canonizaretur, cuius nomen magis ac magis in Ecclesiae pastorum, theologorum et fidelium labiis personabat. Beatus Ioannes Paulus II die XX mensis Iunii anno MCMXCIII, peregrinus, Fulgini apud sepulcrum Angelae dixit: "Magna in te fecit Dominus. Nos hodie grato animo arcanum mysterium Divinae Misericordiae contemplamur et adoramus, quae in Crucis via te usque ad heroicarum virtutum sanctitatisque verticem perduxit".

Propter supplicationes de canonizatione aequipollenti nuper a tota Franciscali familia die VIII mensis Decembris anno MMXII necnon a Conferentia Episcoporum Umbriae die X mensis Decembris eiusdem anni admotas, Decessor Noster Benedictus XVI, in audientia diei XX mensis Decembris anno MMXII, Venerabili Fratri Nostro Angelo S.R.E. Cardinali Amato, Praefecto Congregationis de Causis Sanctorum, concessit ut ad hanc expediendam rem procederet. Parata positione super canonizatione aequipollenti, cum plane comprobarentur virtutes heroum in modum exercitae et fama signorum quam ipsa est consecuta, casus primum a Consultoribus Historicis, tum a Consultoribus Theologicis, post a Patribus Cardinalibus Episcopisque, die XXIV mensis Septembris anno MMXIII in Sessione Ordinaria coadunatis, Causam ponente Venerabili Fratrem Nostro Angelo S.R.E. Cardinale Amato, eiusdem Congregationis Praefecto, felici cum exitu investigatus est. Exinde idem Cardinalis Amato de statu quaestionis suffragiisque concordibus Patrum Sessionis Ordinariae Nos certiores fecit.

Itaque, omnibus mature perpensis et certa scientia, divino auxilio invocato, sententiam Congregationis de Causis Sanctorum ratam habuimus et statuimus item ut cultus, huic dignissimae Christi sponsae strenuaeque sancti Francisci Assisiensis discipulae tributus, nunc et deinceps ad totam Ecclesiam deferretur. Itaque ad Dei gloriam, ad exaltationem fidei et vitae christianae incrementum, apostolica Nostra ex auctoritate decernimus ut Angela de Fulginio, Ordinis Franciscalis Saecularis, sancta sit et statuimus ut Sanctorum Catalogo adscribatur ac pia devotione recoli et inter Sanctos Ecclesiae Universalis invocari debeat.

Volumus tandem ut haec Nostra deliberatio firma sit, immutabilis et irrevocabilis, atque exoptamus item ut laetanter et gratanter seu ab Ecclesiae pastoribus seu a fidelibus recipiatur, qui, lumen contemplantes quod ex virtutibus ac spiritali sapientia sanctae Angelae de Fulginio manat, in Sanctissimam Trinitatem et Christum Crucifixum amore magis ac magis flagrent ipsique, Dei laudes decantantes, in communionem cum sanctis Apostolis Petro et Paulo omnibusque aliis caeli incolis alacriter in sanctitatis semita procedere possint.

Datum Romae apud S. Petrum, die nono mensis Octobris, anno Domini bis millesimo tertio decimo, Pontificatus Nostri primo.

Franciscus